Quaestio Cardinalitia agitanda in Scholis Medicorum

die 22a Martii.

M. Claudio Rogerio Moderatore.

An solius thoracis affectus indicet Respiratio?

Respiratio solius voluntatis opus utraque sui parte calorem cordis refrigerat animalem spiritum inspiratione renutriens in temperatis moderata et εὔρυθμος caeteris differens, motuum qualitate ac temporum ac quibus utriusque quantitate.

Quo fit ut sanguineis et biliosis, pueris, et juvenibus, masculis et exercitatis, pastis, et sopitis, vere, et aestate; calidis constitutione, regione, loco, victuque; omnibus similiter calidis, major sit celerior, ac frequentior contrariis contraria.

Respirationem faciunt ex libero septum transversum, ista violentam caeteri musculi, qui cum valida facultate, pro usus incremento magnam primum deinde celerem, postremo frequentem reddunt. Raritatem vero cum magnitudine facultas evocata jungit, frequentiam cum parvitate dolor, ductus obstructio compressioque. quae inaequalitatem faciunt sicut et imbecillitas facultatis, et convulsio, palpitatio, tremorque, musculorumque et septi ordinem aucta pendentum.

In febribus ardentibus magnus est celer et frequens spiritus: obscurus in hystericis, tabidisque: delirantibus longus: brevis pleuriticis, praegnantibus, satureis, hydropicis, hepaticis, lienosis. sublimis in angina et asthmate: stertorosus in peripneumonia, saepe etiam duplicitas revocatus, et inordinatus.

Respiratio facilis in acutis morbis est magni momenti ad salutem, ista longa, recta, sublimis, offendens, intermittens periculum imminentem, empyicis, hydropicis, ac senibus inevitabilem. quibus rara parva superveniens mortem advenire, frigida significat advenisse.

Non igitur solius thoracis affectus indicat Respiratio.


F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiae M. Geraldus Denizotus nogentinus. A. M.D.XLVIII.